



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XLVIII. An reus ad locum sacrum confugiens, in casibus non exceptis
expelli inde possit, & debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

DVBITATIO XLVIII.

An reus ad locum sacrum confugiens, in casibus non exceptis, expelli inde possit, & debeat?

S V M M A R I V M.

- 1 Reus confugiens ad locum sacrum in casibus non exceptis non potest inde expelli.
- 2 & 3. Qui dat immunitatem alicui loco dat etiam cuiuslibet ius confugiendi ad illum locum, quapropter et qui eum expellit, priuat eum iure suo, & grauiter peccat contra iustitiam: idem dicitur de impediendis ne recipiatur.
- 4 Reus non est expellendus a loco immuni praetextu, quod alibi possit se recipere, quia habet ius ad quem maluerit locum sacrum.
- 5 Clerici, & Regulares non possunt expellere confugientes ad suos Conuentus, & domos, etiam reiiciendo illos ad Ecclesiam, quia in Ecclesia natura necessaria ministrare non licet.
- 6 Reus non seruans debitam reuerentiam Ecclesiae, ut in ea cibum sumens, & quid simile, potest cum violentia ad loca circumiacentia immunita impelli, si renuat obedire.
- 7 Reus turbans quietem, inficiens disciplinam Regularum, vel indecenter se gerens, potest expelli etiam a domibus, & Conuentibus ipsorum.
- 8 Quod conceditur in fauorem, non debet in dispendium retorqueri.

- 1 **R**esponderetur negatiue, quin debet eius defensio suscipi, cap. miror, cap. reum, ap. id. consueuimus, cap. definit, cap. sicuti antiquitus, 17. quest. 4. cap. de raptorib. 36. quest. 1. cap. inter alia, de immunit. Eccles. & l. presenti, C. de his, qui ad Eccles. confug. Et ratio est, quia qui dat immunitatem alicui loco, dat etiam cuiuslibet ius confugiendi ad illum locum: quapropter qui eum expellit, priuat eum iure suo, atque adeo grauiter peccat contra iustitiam: quod extendendum etiam est ad omnes, qui quomodocumque impediunt, ne reus recipiatur in loco immuni, quia impediunt ius confugientis in re graui.
- 4 Neque obstat, quod reus possit confugere ad alium locum immunem (qua ratione nonnulli reum expellunt, vel non recipiunt) quia cum omnis locus sacer sit immunis, reus ius habet confugiendi ad omnem talem locum, ita ut è nullo possit expelli, vel impedi, quod ibi recipiatur, sed sit in potestate ipsius eligere quemcunque locum voluerit, cum quilibet sit ipsi concessus, ad quem possit confugere.
- 5 Hinc sequitur, quod clerici, & Regulares non possint expellere reum a domibus, vel conuentibus immunitate gaudentibus, etiam reiiciendo illum ad Ecclesiam; quia cum dictae domus, vel conuentus immunitate gaudeant, habet ius confugiendi non solum ad Ecclesiam, sed etiam ad dictas domus, & conuentus, quo iure non potest priuari, cum quod est concessum à superiori non possit auferri ab inferiori, praesertim quia ob reuerentiam Ecclesiae non potest in illa exercere quaedam, quae sunt ad vitae conseruationem necessaria, ut cibum capere, dormire, & similia: quapropter ad hanc exercenda concedi debet ipsi alius locus: ob quam causam Imperatores concesserunt certum spatium extra Ecclesiam, in quo reus hanc exercere possit, sicuti constat ex l. pateant, C. de his, qui ad Eccles. confug. & notat Rittherfusius de iure asyl. cap. 7. num. 7.

Quod si reus non seruet debitam reuerentiam Ecclesiae, ut si in illa cibum sumat, dormiat, aut quid simile gerat, moneri debet à clericis, quod ad hanc praestanda extra Ecclesiam, v. g. ad circumiacentia loca immunita se conferat, ita ut si renuat obedire, etiam cum violentia ad id cogi possit, cit. l. pateant, §. proinde; quia ut ibi dicitur, praesertim humanitati religio est: & cum spectet ad clericos cura Ecclesiarum, ad ipsos etiam spectabit impedire, ne Ecclesiae indecenter tractentur. Nouarius in summ. Bullar. tit. de immunit. n. 40. asserens ita declarasse S. Congregationem, & Farinac. de immunit. c. 2. n. 40.

Quin, si reus indecenter in domibus, conuentibus, 7 vel aliis locis immunibus se gerat, v. g. turbat quietem, vel inficit disciplinam regularem, expelli licet ex illis potest, quia cum immunitas sit privilegium loci, non debet redundare in detrimentum loci, & eorum qui sunt in loco, siquidem quod conceditur in fauorem, non debet in dispendium retorqueri, cap. quod ob gratiam, de regul. iur. in 6. quapropter tunc praeualet ius illorum conseruandi propria loca cum debita quiete, praesertim cum tale ius sit naturale, & primarium: & cum reus confugiat ad illa ut protegendus, & sic ut supplex, & protectionem implorans: quapropter si taliter se non gerat, indignum se reddit protectione.

DVBITATIO XLIX.

An si laicus delinquat in loco sacro, possit iudex Ecclesiasticus cognoscere de delicto, & delinquentem saecularem punire.

S V M M A R I V M.

- 1 Iudex Ecclesiasticus cognoscere, & punire potest simpliciter, etiam si delictum in loco sacro commissum non sit Ecclesiasticum, sed saeculare, & à saeculari commissum.
- 2 Delictum in loco sacro commissum ratione loci sacri, in quo est commissum, sortitur naturam mixti fori, & datur locus prauectioni.

Responderetur, quod (quamvis Olibanus de iure fisci, cap. 11. n. 7. & segg. & Anton. Ripol. de iurisdic. omn. iud. c. 1. n. 170. asserant, quod iudex Ecclesiasticus, si habet iurisdictionem, & territorium in rebus saecularibus, possit cognoscere per saeculares de delicto intra locum sacrum à saeculari commissum, & delinquentem illum punire ex eo, quia ad dominum habentem omnem iurisdictionem, & imperium in ciuitate pertinet cognitio, & punitio saecularis delinquentis intra Ecclesiam; secus si talem iurisdictionem non habeat) tamen dicendum sit, quod cognoscere, & punire possit simpliciter, etiam si delictum in loco sacro commissum, non sit Ecclesiasticum, sed saeculare, & à saeculari commissum. Et probatur (vnde patet responsio ad fundamentum aduersariorum) quia (ut supra dicebam) delictum in loco sacro commissum, ratione loci sacri, in quo est commissum, sortitur naturam mixti fori, cum propterea induat naturam sacrilegij, quapropter in tali casu uterque iudex, tam saecularis, quam Ecclesiasticus, cognoscere, & punire poterit: ita ut detur locus prauectioni, & sic punire possit is iudex, qui in captura prauectioni: atque ita docent Doctores, quos refert, & sequitur Farinac. in append. de immunit. Eccles. cap. 16. num. 236. Vide etiam, quae dicebantur c. 10. dub. 6. sect. 1. & segg.